

FOUNDED 1852
SICUT PATRIBUS SIT DEUS NOBIS
BOSTONIA
CONDITA A.D.
1630.
CIVITATIS REGIMINE DONATA A.D. 1822.
BOSTON PUBLIC LIBRARY

Q. D. B. V.

SCHEDIASMA ACADEMICUM

DE EO QUOD EST MORIS NOVISSIMI IN REPUBLICA LITERARIA:

SIVE

Von der neuesten Mode bey der Gelehrten Welt.

INDULTU BENIGNO

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM

IN ALMA LUDOVICIANA,

PRAESIDE

DN. IO. CHRISTIANO LANGIO,

PROFESSORE PHILOSOPHO ORDINARIO

AC CELEBERRIMO,

PATRONO AC PRAECEPTORE SUO

PERPETIM DEVENERANDO,

PRO CONSEQUENDO

MAGISTERII GRADU

AD DIEM XX. SEPTEMBRIS MDCCXII.

PUBLICO EXAMINI PROPOSITUM

A

GEORGIO ADOLPHO RÜHFELIO,

WINNINGA MOSELLANO.

EDITIO SECUNDA.

GISSAE HASSORUM,

Typis & ſumtibus Heredum B. IOH. REINH. VULPII. Acad. Typogr. 1714.

ILLVSTRIS AC INCLYTAE
ACADEMIAE
LVDOVICIANAE
MAXIMIS
H. T.
LVMINIBVS AC COLVMINIBVS:
MAGNIFICO DOMINO
RECTORI,
ET
VNIVERSIS QVOTQVOT SVNT
PROFESSORIBVS
IN OMNI ORDINE
EXCELLENTISSIMIS AC CELEBERRIMIS:
PATRONIS, ET PARTIM PRAECEPTO-
RIBVS SVIS,
OMNI QVO DECET VENERATIONIS
CVLTV
SVBMISSE COLENDIS:
IN GRATI AC DEVOTI ANIMI
TESTIFICATIONEM,
OB BONA INNVMERA, QVIBVS
AB HAC ALMA STVDIORVM MATRE,
PRAESERTIM
PER THEOLOGICI AC PHILOSOPHICI
ORDINIS
*DOCTORES DEXTERRIMOS AC FI-
DELISSIMOS,*
IN EA AVCTVS FVIT,
HOC QVALE QVALE STVDIORVM
SPECIMEN
CVM PERENNANTIS FELICITATIS
APPRECATIONE
submisse offert
GEORGIVS ADOLPHVS RÜHFELIVS.

Quam breuem nunc Dissertatiunculam B.L. legendam tibi offero, offerre quidem animus autea non erat; cum aliud mihi delectum esset argumentum, quod loco istiusmodi speciminis proponere decreueram. Cum autem aliis occupationibus ac studiis distracto eidem digne meditando ac elaborando huc vsque satis vacare non licuerit; atque interim accederet Superiorum meorum iussus, qui INCLYTAE HVIC LVDOVICIANAE, in qua per integros quatuor annos, & quod vltra eos excurrit, tot bonis ac studiorum meorum commodis cumulatissime locupletatus fui, valedicere & Argentoratensem dehinc Academiam adire imperaret: ne sine aliquo publico studiorum meorum documento ac Testimonio abhinc discederem; animum induxi meum, hoc breue de Argumento designato Schediasma pro rite consequendis, ad quos AMPLISSIMVS PHILOSOPHORVM ORDO me benignissime admittet, Gradus Magisterii honoribus, publico Examini proponere; non dubitans fore, vt saltem eiusdem iucunda nouitas aliquam ipsi gratiam conciliet. Ansam ad id eligendum praebuit ipse EXCELLENTISSIMVS DN. PRAESES, *è cuius ore pleraque huc pertinentia excepi, quae partim in suis praelectionibus, partim intra colloquium priuatum, vtiliter ac docte ea de re profudit. Meum itaq; facio; quod meum non est: nisi quod ipsius Purpurae nonnihil de meo panno, quem quidem facile ab eadem discernes, licuerit assuere. Tu interim B. L. aequi bonique consule hanc curtam mihi supellectilem, quae ansam ad minimum & mihi & aliis poterit praebere, & ampliora & digniora de hoc non iniucundo nec infoecundo argumento in posterum fortasse proferendi, atque* antiquos *etiam* Eruditorum mores, *de quibus hoc loco simul agere diffusa argumenti vetuit prolixitas, cum iis, qui nunc sunt, conferendi.*

MIrare, & noli mirari, Lector, quod MOS, notissimus ille a Victus & Amictus variandi regimine trium Literarum Tyrannus, qui Simii in morem recens sibi genitos catulos mirum in modum deamare solet, mox tanquam Ælurus aut Saturnus aliquis proprios rursum deuorat natos, & nouas subinde, quas ex se progignit, Consuetudines facit in priorum locum succedere, non tantum *Ciuilem*, sed quoque *Literariam*, Rempublicam, & ea, quae ad vtramque pertinent, perpetuæ morum vicissitudini reddat obnoxiam. Quî enim aliter is potest facere, qui, dum sibi ipsi non constat, ipsa propemodum vicissitudo est, & Mos fere esse desinit, dum constans esse incipit; nisi forsan existimes, illum potius dicendum *Morem* esse, qui absque vicissitudine Mos est. Atque utinam, si bonus est, semper talis extaret; si vero malus est, nunquam existeret talis; sed vices mutaret sine vicibus. Via itaque & pandenda est mori, atque etiam occludenda. *Pandenda*: si bonus est, ad aditum & reditum; si malus, ad abitum & exitum. *Occludenda*: si bonus est, ad abitum & exitum; si malus, ad aditum & reditum. Vnum vero est merito dolendum, siue bonus Mos fuerit, siue malus, quod regere eum se sinat humanum genus, qui regi & seruire natus est, ac imperando, etiamsi optimus fuerit, degenerat. Si quod tamen ipsi regimen est permittendum: felicius regeret, si regeretur; sique, qui eum regere debent, se ipsos regerent. Praeclara enim & optima res est Mos, oculis etiam acutis prædita, & valde sciola; sed impetu tamen ac nimio sui amore plerumque coeca, imo, nisi dirigatur, noxia: eoque non tam coeca, quam oculis abutens quodammodo occoecanda; ac similis reddenda Equo, qui clausis & obtectis oculis versandae mouendaeque molae adsuescit, eidemque prodest, si regitur, obest, si regit; nisi fortasse ex improuiso prosit. Noli itaque mirari Moris Imperium, aut, si mauis, Tyrannidem, Imperii cupidam. Effert se in Dominum Seruus, si seruo nimium Dominus permittit. Illud vero magis mireris, quod & ii eius se subiiciant imperio, qui eum dominio exuere, aut saltem regimen ipsius moderari debent. Iam, nosse si velis, qualis sit hodie Mos in Republica Literaria Sapientiam profitentium, qualemque in ea sese gerat: obserua mecum Moris in ea morem; ac deprehendes, eum nec optimum omnino esse, nec pessimum, sed optimo tamen quam pessimo in pluribus

ribus ſimiliorem: Non Subditum prorſus, nec Principem prorſus, ſed mira coniunctione ac viciſſitudine utrumque; hoc eſt, Seruum, in quantum regitur, Dominum, in quantum regit, aſt Seruo tamen hodie, quam Domino, ſimiliorem. Qui enim nunc prudentiſſimi ſequuntur Morem; ſequuntur ideo ea, quæ ſunt boni moris, non quod illa ſunt moris, ſed quod eſſe debent. Aſt cum quoque ſuperſint plurimi, qui morem ſequantur, quia mos eſt: apparet, nonnullas etiam dominii partes mori adhuc hodie relictas eſſe. Mihi vero, Viatorem ac Peregrinatorem adhuc agenti in orbe Literario, licebit quoque Spectatorem Moris & Exploratorem agere; & ea ſimul uti libertate, quae alias peregrinantibus conceſſa eſt, vt dicant paulo liberius, quod ſentiunt; utut ſine autoritate dixerint. *Primum tibi in mores peregrinatore dignos auſpicium erit, recte de moribus hominum iudicare, ne te fallat vitium, ſpecie virtutis & umbra; ne ſtatim omnia admireris, &, quicquid peregrinum eſt, temere domeſticis praeferas.* Verba haec ſunt ſummi olim BOECLERI, dicentis ac diſſerentis de *Peregrinatione Germanici Caeſaris.* Caeterum, ut rem eandem diuerſa ſpecula varie reddunt, pro forma ſpeculorum diuerſa; ſic de iisdem moribus diuerſe iudicant diuerſi. Optime vero quisque eſt facturus, qui animum ſuum curabit tali ſpeculo reddi quam ſimillimum, quod, rectificatum ſatis, nunquam reddet imaginem, a re ipſa, cuius eſt imago, alienam. Ad *Fortunam* denique aut *Fatum*, ſi quis ea, quae nos *Moris* eſſe diximus, voluerit referre; ei, quod confido, facile conciliabimur. Non enim repugnat, ut, quod moris eſt, ſit quoque ſuo modo *fatale* aut *fortuitum*, & vice verſa, ſi quid *fatale* aut *fortuitum* eſt, abeat in *morem.* Subeſt enim humanis moribus aliquid fortunae & fati; præſertim in illis rebus, quae ab humano arbitrio non vnice pendent. Sed eſt tamen rationabilis mentis humanae libertas ſupra fortunam atque fatum poſita; quatenus vel ea agit, quae nulli fato aut fortunae ſubſunt, vel agit quoque ea, quae fatum aut fortuna poſtulant. Cedunt enim Rationi ac liberae menti & fortuna & fatum, ſi rurſus fortunae & fato, in quantum par eſt, cedit mens libera & recta Ratio.

Caeterum, quaecunque eſt huius loci NOVITAS MORIS: ea pertinet vel *ad ipſa ſtudia literaria*, vel *ad Studiorum iſtorum Cultores*; & quae ad ipſa praeſertim ſtudia ſpectat; ea reſpicit vel *interiorem* vel *exteriorem* Studiorum rationem atque Cultum. Haec ſi velis attendere: habebis, ad quod qualemcunque noſtram hanc opellam licebit diſpertiri.

CAPVT I.

DE EO, QVOD EST NOVISSIMI MORIS CIRCA STVDIORVM DELECTVM, INTERIOREMQVE EORVM RATIONEM.

I.



Vaerimus fortaſſe *Nouitatem*, vbi nulla eſt nouitas, & ipſa potius videtur rerum, morum, ſtudiorumque *Antiquitas* ſubeſſe. Notiſſimum omnibus eſt SALOMONIS ſapientiſſimi effatum, Eccleſ. cap. 1. ℣. 9. 10. *Quod fuit, idem futurum eſt*; &, *quod factum eſt, idem fiet, nec quicquam ſub Sole nouum: Eſt aliquid, quod tanquam nouum oſtendatur, quod tamen iam fuit priſcis temporibus, quae nos anteceſſerunt*. Cui quidem vexatiſſimo Sacrarum literarum oraculo prolixius declarando, non licet iam vacare. Quinimo & ſua luce iam ſatis videntur verba radiare: nec dicam, eſſe abſconditum, quid dicat Salomo, ſed quam vere dicat. Offerunt enim ſe innumera, quae huic ſententiae contrariari putes. Noua indies gignuntur *animantia*, & *res aliae nouae* quam plurimae. Proſtant nouae *artes* & *inuenta*, quorum vix ullum in Antiquitate exſtat veſtigium; noui ſeſe produnt *rerum actionumque euentus*; noua ſeſe ſubinde exſerunt *prodigia*; aut, ſi ſummatim velis dici, nouae ſeſe pandunt *ſcenae*, noui reperiuntur *actores* ac *ſpectatores*, nouae etiam in his luduntur *fabula*: & ipſum *diuinorum operum ampliſſimum Theatrum* nouis ſemper *admirandis* conditoris ſui gloriam amplificat, & ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν percipitur quotidie conuerti. Interea tamen & SALOMONEO DICTO conſtabit ſua Veritas; ſi conſideremus, quod non modo *Ideae* omnium rerum in mente infinita ſint aeternae, eoque antiquiſſimae, ſed *Semina* quoque, *fundamenta*, *genera* & *analoga* ſeu *paria* tam mirificae *varietatis rerum* in ipſa nouitate antiquitatem ſuam prodant: ita quidem, ut quae *ſpecie* ſunt noua, ſint antiqua *genere*, quae *numero* ſ. *exemplo* ſunt noua, ſint antiqua *ſpecie*, & nihil fere ſequiori tempore exiſtat, quod ſui ſimile prorſus non habeat in præcedenti. Idcirco ſemper nobis

nobis *in antiquitate nouitas*, in *nouitate antiquitas* est agnoscenda: & possunt aliqua, quae noua *in se* non sunt, noua esse *vicissitudine*; imo *fons nouitatis* videtur quoque esse *noua pristinarum rerum coniunctio & combinatio*, quam vocant; quae in *infinitam* sese explicans *varietatem*, suis tamen non magis potest *a principiis* deflectere, quam *corpora naturalia*, & compositiones literatae & musicae, à suis *elementis*. Sunt itaque & cogitata ac inventa humana *antiqua* pariter ac *noua*, vel, quod fere perinde est, *finita* pariter ac *infinita*: Scilicet finita & antiqua *principiis*; infinita atque noua *progressibus*, horumque *varietate* ac *vicissitudine*: Ast ita tamen, vt *ad principia* subinde *redeant*, seruentque priorum similitudinem aliquam, & *terminentur* in illis, a quibus sua *initia* duxerunt. Exinde *Periodorum*, *Anacyclosium*, *Metamorphosium*, *Catastropharum*, & *Parallelismorum* enata est doctrina; nec defuerunt proinde, qui in Rerum temporumque cursu eiusmodi *Periodicas Analogias* obseruarunt, quarum *typum* aut *prototypum* in ipsa *Mosaica* de mundo condito *historia* latere statuerunt; ceu patet ex variis scriptoribus, qui praeter Patres ad Hexaëmeron sunt commentati; quos inter celebris est scriptor *G. van der* MEVLEN, in Libro MDCXCIII. Amstelodami edito, quem *Signa Temporum semper sibi similia* inscripsit. Quapropter & nulla nobis maior prae nostris Antecessoribus relinquitur gloria; estque laudanda *doctorum* quorundam *Virorum* opera, qui *priscorum* ac *nouorum* hominum *gloriam* ac *merita* aequipararunt, & *nouarum rerum vestigia atque praeludia* in ipsa *antiquitate* commonstrarunt. *Prisci* enim *sementem* nobis fecerunt; *nos* venimus in ipsorum *messem*, & nostris quoque successoribus sementem facimus. Illi *fundamenta* iecerunt; nos iactis eorum fundamentis *superstruimus*: nisi quod *demoliamur* interdum, quod magno nisu ac molimine *instaurabit* posteritas. Quinimo, quod prudenter obseruauit CARDANVS, (Paralipom., cap. XIII.) solet quoque hoc euenire, ut *singulis temporibus, collectis in vnum multorum laboribus, vnus pro multis legatur, in cuius scriptis omnium praecedentium sententiae splendidius comprehendantur, ut seculo magis florido, & a viro sapientiore descriptae*. Hactenus CARDANI verba; quibus ipsa quoque fidem facit Experientia. *Vir bonus* autem, cui plurima tempora videntur bona sua credidisse, *tam cito*, ut SENECA alicubi ait, *nec fieri potest, nec intelligi, & fortasse tanquam Phoenix semel anno quingentesimo nascitur; nec est mirum, ex interuallo magna generari*. Sic instauratione quandoque nouum redditur, quod priorum temporum *incuria* est antiquatum. Et hisce

qui-

quidem ſuppoſitis, monet nos inſtituti ratio, ut de eo nouiſſimo, de quo agere conſtitutum eſt, paucula quaedam proferamus.

II.

STVDIA quaedam dari, quae ex ipſa aut omni ſua veluti *ſubſtantia* noua prorſus poſſint aeſtimari; id equidem ex ante dictis minus eſt probabile. Videntur enim tantummodo ſtudiorum priſtinorum *incrementa, decrementa*, & caetera genera *mutationis*, nouitatem perſaepe ſtudiis afferre: poteſtque ſpeciatim HISTORIA de eo gloriari, quod *antiquae rei noua* ſemper proferat *exempla, & omnium Temporum ſtudia* in ſcenam *ſub eundem conſpectum* producat. Praeter illam ſi reliquam PHILOLOGIAM ac PHILOSOPHIAM, atque vna cum iis THEOLOGIAM, IVRISPRVDENTIAM ac MEDICINAM, (ſeu quod, ſi nomina in ſenſu & amplitudine conueniente, atque magis ex mente veterum accipiantur, propemodum perinde erit, METAPHYSICAM, POLITICAM ac PHYSICAM,) hoc loco nominaueris: hoc ipſo *ſtudiorum honeſtorum omnium* dederis complexum, quibus *ſua contraria*, non aliter ac vmbra corpori, accedunt.

III.

Verum in his omnibus conſiderandis, quid ſit nouiſſimi Moris, propius iam videamus, & paucis multa complectamur. Laudamus AETATIS NOSTRAE STVDIA: & quidem merito laudamus, quod non tam VERBALIA & IDEALIA, quam REALIA Objecta per ea conſectemur. Laudabili ſane inſtituto; dummodo duo priora non negligantur, & Harmoniae, quae eſt inter RES, VOCES, & IDEAS, ſua ſemper conſtet integritas. Coniungimus proinde EXPERIENTIAM cum INTELLIGENTIA & ELOQVENTIA; *Senſum* cum *Ratione* atque *Lingua*: profecto *bene ſatis*; dum modo ſatis bene easdem coniungamus, & modum in his omnibus teneamus. Cum iisdem volumus quoque coniungi FIDEM, non coecam ac Carbonariam, ſed rationali ac libera, addo & Chriſtiana, mente dignam: in quo & nihil habeo deſiderandum, niſi vt *Fides* noſtra ſit ſemper magis *diuina* quam *humana*; & illa quoque non tam *literalis & inoperoſa*, quam *reali cum viuacitate efficax*. ECLECTICI porro hodie nos eſſe malumus, quam SECTARII; conſectantes nempe *Rationem* magis, quam *Auctoritatem, Libertatem* magis, quam *Seruitutem*; *Scientiam* magis, quam *Opinionem*: Et haec omnia ſatis bona; dummodo bene ſatis in his omnibus verſemur, & modum in nullo eorum excedamus. Malumus

mus item SCEPTICI magis esse, quam DOGMATICI, itemque IRENICI magis, quam POLEMICI: & hoc bene satis, si modo dubitando veritas non amittatur, sed acquiratur, nosque e *Scepticis* aliquando conuertamur in *Dogmaticos*, nec non ex *Irenicis*, si opus quandoque fuerit, mutemur in *Polemicos*, & rursus tamen, obtenta rationabili pace, ad *Irenicum*, non *animum*, quem semper debemus vel in medio conflictu seruare integrum, sed *statum* redeamus. Placent porro nobis non tam INSTRVMENTALIA, quam PRINCIPALIA, Studia. Existimamus, esse non tam INTELLECTVS, quam VOLVNTATIS culturae operam maxime nauandam. Sectamur Eruditionem non tam SCHOLASTICAM, quam POLITICAM, eoque non tam THEORETICAM, quam PRACTICAM; scilicet non SCHOLAE, sed VITAE nostra Studia aptantes. Et hoc satis bene; dummodo suum cuique tribuamus, neque, quod fere metuendum est, ad alterum extremum diuergamus, & ea disiungamus, quae possunt ac debent esse coniunctissima. Auersamur vero praecipue *PEDANTISMVM*, quem alii *Scholasticam abiectionem*, alii *Paedagogicam affectationem*, atque alii fortasse aliter solent appellare, & *Complexum* censere *plurimorum incommodorum*, quae moris literarii nouitas hodie expungit; siue inepta in literis *Iactantia* & *Ostentatio*, siue *vana persuasio*, siue *morositas*, siue *singularitas*, siue *obscuritas*, siue *Barbaries*, *morumque* ac *studiorum* homini docto ac literato conuenientium *inconcinnitas*, vocentur, aut *alio* quouis *titulo* venire soleant ac possint. Euge; bonum factum: dummodo vna prospiciatur, ne *bestiae huic* minus comtae ac desiderabili succedat altera, magis comtula, delicatula, blandula, suaque proinde specie formosior, & primo sub aspectu amabilior; at vero, si quid ipsi indulseris, moribus multo ferocior, & à solidae sapientiae studiis reuera alienior. Hanc si *immoderatum GALANTISMVM*, *Pedantismo oppositum*, velles nuncupare; titulum ei dares ipsius genio maxime accommodum. Quare quidem nihil magis erit hac aetate prouidendum, quam ne *Charybdim* euitaturi incidamus in *Scyllam*, & *Pedantismo* antea correpti, nunc *Galantismo* obruamur. Magnum nobis aduersus haec mala erit praesidium, cum *Eruditione* sociata semper vera *Religio*, atque cum *Facilitate* Studiorum coniuncta *Soliditas*; dummodo & inuigilemus, ne intenti Eruditioni profanae, NATVRALISMO, & sacratioribus dediti studiis ENTHVSIASMO, aut, per inconuenientem vtriusque conciliationem, SYNCRETISMO quodam aeque nociuo abripi nos patiamur, sed his pariter ac *caeteris* quoque verae Eruditionis *perturbationibus* ac *detrimentis* mente ad Deum ejusque Legem semper conuersa,

eum prouida cura obuiam eamus; atque sic demum exornemus *Polymathiam* ac *Polyhistoriam*, quam more nouissimo aetas nostra sibi tribuit.

IV.

Ad *specialiorem* porro si accedamus *Studiorum* nostri temporis *considerationem*: habebimus & ibi variam nobis de nouissimo more gratulandi materiam. THEOLOGIA, nimis olim *Scholastica* ac *disputatoria*, ad *vsus practicos fontesque* suos *genuinos* ac *sacratiores* magis magisque hodie reducitur; eoque etiam cum Studio SS. *Literarum*, propterque eas *Sacrarum* quoque *Linguarum*, *Antiquitatum*, *Historiarum*, & omnis generis *obseruationum Critico-Philologicarum*, vtilissime coniungitur. Pariter etiam videmus, coniungi IVRISPRVDENTIAM *Ciuilem* cum *naturali*, genuinos *legum* omnium recludi *fontes*, pandi earum *intimos recessus*, detegi ac corrigi *naeuos*, amplificari *vsus*, &, quae olim minus conducebant, ad *Reipublicae nostrae statum & commoda* magis magisque attemperari, veramque sic Politicam verae Iurisprudentiae, conatu laudatissimo, conciliari. MEDICINAM quoque deprehendimus, *Physiologicis*, *Anatomicis*, *Botanicis*, *Chymicis*, *Pharmaceuticis*, *Chirurgicis*, *Sympatheticis*, & *aliis* sui generis *experimentis* ac *inuentis*, caput suum magis magisque attollere, atque ex mere *Aphoristica* & *Empirica* in *Systematicam* & *Dogmaticam* euadere. Nec minus proinde PHILOSOPHIA, caeteris omnibus profutura, totam se *rationalem* & *experimentalem* esse gloriatur, & eo se intentam esse monstrat, ut *exploratis* & *probatis* per δοκιμασίαν exquisitam *omnibus*, seruentur ea, quae sunt *optima* & *probatissima* inuenta. Habemus proinde Antibarbaros *Grammaticos*, *Philosophicos*, *Biblicos*, *Theologicos*, &, si rem ipsam sine Titulo spectemus, etiam *Iuridicos*, *Medicos*, & quosuis alios. Quibus praeterea accedit, quad nostrae aetati est prorsus peculiare atque singulare, *exquisitissimum* per omnia genera Doctrinae, HISTORIAE OMNIS, & speciatim LITERARIAE, quam vocant, STVDIVM, per tot *Ephemerides*, *Recensiones* & *Obseruationes rariores* indies adhuc maiora incrementa capiens, *omnium monumentorum*, ad rei literarie emolumenta quouis modo pertinentium, faciens notitiam, *posteriora prioribus* coniungens, *memoratu digna* conseruans, variasque ad vtilitates proferens, & adeo sese conspicuam hoc tempore reddens, ut *seculo nostro* HISTORICI *nomen ab eo esse imponendum*, doctis quibusdam Viris haud incongrue sit visum. Quae omnia certe sunt talia, ut in Moribus hisce nouissimis etiam bona *Fortuna* bonumque *Fatum* debeat agnosci, nihilque supersit, quam ut eam quoque in Studiis specialioribus adhibeamus *cir-*

cumspe-

cumspectionem atque *prouidentiam*, quam supra ut *Studiorum omnium moderatricem* nunquam non adhibendam commendauimus. Multum vero ad *haec tanta incrementa Historiae literariae*, quae olim iam VERVLAMIO ad scientias augendas erat desideratissima, contulit summi quondam MORHOFII doctrina rara & auctoritas, cuius celebratissimus POLYHISTOR nubem fere post se traxit POLYHISTORVM: euentu quidem satis etiam felici; dummodo tot essent *Morhofii*, quot *Polyhistores*.

V.

Praeviderunt autem HVNC SVMMVM, quo nos hodie gaudemus, LITERARVM FLOREM docti aliqui, qui ante nos vixerunt, Viri, & veluti vatidico spiritu eundem praedixerunt. In cuius rei exemplum etiam ipse DN. PRAESES, in Erudit. Protheor. cap. XV. pag. 847. produxit IACOBVM ACONTIVM, scriptorem satis celebrem, atque, si ex Remonstrantium elogio ipsius est metienda dignitas, Virum aeterna memoria dignum, qui in Epistola ad IOH. WOLFIVM, *Tigurinum*, scripta Londini XII. Calend Decembr. MDLXII. vbi FRANCISCI PATRICII scripta laudat & admiratur, sequentis tenoris verba, notatu dignissima, profudit: *Intelligo etiam*, ait, *me in seculum incidisse, cultum praeter modum, nec tam certe vereor eorum, qui regnare nunc videntur, iudicia, quam exorientem quandam Seculi adhuc paulo cultioris lucem pertimesco. Etsi enim multos habuit, habetque aetas nostra viros praestantes; adhuc tamen videre videor, nescio quid, magis futurum.* Cum quibus *Acontii* verbis caetera quoque velim *conferri*, quae in citato *DNI Praesidis* Libro l. c. leguntur vtilissime obseruata.

VI.

Sed ne de *isto Flore Literarum* vltra, quam fas est, gloriemur: audiamus etiam SEB. CASTELLIONEM, scriptorem satis quoque celebrem, qui in Epist. Dedicat. qua EDVARDO VI. (quem Titulo, à nostris moribus proh quantum alieno, *Angliae Regem clarissimum* compellat,) *seculum suae aetatis tale quidem fuisse* existimat, *ut nihil eo fieri posset eruditius*; sed idem tamen vna fatetur, *profundis ignorantiae tenebris id adhuc esse immersum, ejusque rei certissimum* ait *esse testimonium, tam graues, tam pertinaces, tam perniciosas dissensiones, tam multos item & eosdem irritos conuentus de hisce controversiis, tantumque numerum quotidie nascentium librorum, & eorum inter sese toto coelo dissidentium*: addens denique, praeter interiecta vtilissima alia, *tantis studiis, tanta linguarum cognitione, tot artibus, totque libris, per tot annos, tam parum adhuc esse profectum, ut indies in-*

deterius abeant res : huiusque mali vnam verissimamque causam existimat se inuenisse, aversam a Spiritu Dei & veritatis VITIOSITATEM *ac* IMPIETATEM. *Dixisse enim Danieli Angelum: Impie agent impii, nec intelligent vlli impii. Atque Dauidem contra: IOVAE metuentibus patefit eius arcanum. Atque Esaiam: Preme oraculum, obsigna disciplinam apud discipulos meos.* Vt caetera taceam lectu dignissima verba, in ista Epistola Castellionis c. l. reperiunda.

CAPVT II.

DE

EO, QVOD EST NOVISSIMI MORIS CIRCA RATIONEM ET CVLTVM STVDIORVM EXTERIOREM.

I.

RESpondere INTERIORIBVS EXTERIORA, & *Prouerbio* frequentatum est, &, ipsa suffragante Veritate, *exemplo* & *ratione* comprobatum. Quid mirum igitur, si interior studii literarii ratio exteriorem quoque formet, & nexu sociali post se trahat. Vnum vero est, quod nobis in hac commentatione potest non nihil negotii facessere : Hoc nempe, *quaenam* huius considerationis *praecipua* sint constituenda *argumenta*, in quibus, aut e quibus, studii literarii *in habitu exteriori* nouitas sit commonstranda. Videntur tamen omnia ad DVO potissimum CAPITA reduci posse : si quidem spectemus, quod, cum constituta sit ratio *Interior*, tum quoque *Exterior* ratio *APPARATV* pariter ac *TRACTATV* eidem percipiatur respondere ; siue ad *constituendas*, siue ad *propagandas* disciplinas utramque deinde referatur.

II.

Ad *APPARATVM* pertinent imprimis DOCTORES VIVI atque MORTVI, h. e. PRAECEPTORES atque LIBRI : quos tales nobis deligimus, quales Moris nouissimi genius sibi deposcit. Ex *vtrisque* nimirum placent nobis, qui *Galantismo* quam *Pedantismo* sunt viciniores, & eos in se exprimunt characteres, quos postulat superius exposita Studio-

rum

rum ratio. Arridet enim nobis Doctrina, quae non tantum LECTIONE, sed quoque MEDITATIONE & propria OBSERVATIONE est parata; atque cum NOTITIA plurimarum rerum ubique coniungit IVDICIVM, idque *acerrimum* pariter atque *liberrimum*, quod nullam ad Auctoritatem se patitur adstringi. Ast debet tamen Doctrina ex lege recentissimi Moris non solum ad VERITATEM, sed quoque AD HOMINEM vel maxime composita ac conformata esse: ideoque non *salebrosa* ac *difficilis*; sed *facilis* potius & *expedita*, & morem *Scholasticum* etiam *Ciuili* & *Aulico* veluti More vel dissimulans, vel temperans. Placet igitur *solida* quidem doctrina magis, quam *falsa* aut *superficiaria*; ast hac lege, ut iis ea semper sit adspersa aut instructa *condimentis*, quae ex nouissimo more sint nobis ad palatum, & nihil redoleant Scholasticum. Nam, sicut *Aulici* impensius cupiunt iam esse *Literati*, sic *Literati* impensius cupiunt nunc esse *Aulici*: satis quidem sibi inuicem amici, quoad mutuis, queis utrique delectantur, officiis & blandimentis sibi respondeant.

III.

Hos Characteres proinde sequitur *Apparatus literarius vniuersus*: siue sit BIBLIOTHECARIVS, siue ECLOGARIVS, siue *alio quouis titulo* insigniendus. Placet nobis BIBLIOTHECA *selecta* magis, quam *copiosa*: illa nempe ad *Vsum*, haec tantum ad *Notitiam*, & aliquando ad *Refugium*. Placent LIBRI *rari*, *noui* & aliquid *reconditae doctrinae* habentes in recessu; ex iisque EXCERPTORVM nostrorum PROMTVARIA; ac SCRIPTORVM nostrorum DOCVMENTA instruimus: praesertim, si nostrae aetatis Aristarchi & Literariae historiae Antistites ac Duces Critici eos esse *melioris notae comprobauerint*; quorum auctoritate *Libris* etiam *antiquis* & *puluere* dudum *obsitis*, ut e latibulis publicam denuo in lucem protrahantur, sua quandoque reuiuiscit existimatio. Quare & *Bibliothecas nostras* libenter habemus hodie instructas *eo apparatu*, e quo promi queat desiderata nobis haec cognitio. PLAGIARIOS & COMPILATORES non potest ferre Moris nouissimi genius; neque delectatur CENTONVM CONSARCINATORIBVS, qui *ex libris nonaginta nouem* sine conuenienti ratione *conficiunt centesimum*. Honestioris vero conditionis censentur esse EPITOMATORES & ECLOGARII, qui *Fontes* magis adeunt quam *Riuulos*, atque cum *cura*, *fide* ac *selectu* rem suam egisse aestimantur. Laudabile hoc sane Moris hodierni institutum, dummodo semper tuto satis fidere queamus *Aristarchorum nostri temporis* iudicio, nec illi sibi ipsis interdum nimis confisi deprehendantur.

IV.

Ex Apparatu autem tali facile iam poteris coniicere, quo *TRACTATV* seu *Modo tractandi* studia literaria hodie gaudeant: siue *nobis ipsis* tantummodo studeamus, sive *aliis*, quibus *docendo* pariter ac *scribendo* velimus inseruire. Sed, quia nemo fere est, qui *sibi soli* seruiat, aut si quis esset, *suo* etiam *soli genio* is foret relinquendus; de isto quidem *solitario* quorundam *studio* dicere non attinet; cum magis ad nos videantur pertinere *illi*, qui ita *sibi ipsis* prosunt diligentia literaria, ut quoque *aliis* prodesse queant. Horum igitur *nouissimum* inspiciamus *Morem*; & videamus, qua *Lingua*, quo *Stilo* ac *genere Sermonis*, qua *Forma Doctrinae*, qua *consuetudine pingendi scribendique literas & voces*, quoue *reliquo cultu externo*, circa edenda *Doctrinae* suae *Specimina ac Monumenta*, utendum sibi esse ducant.

V.

LINGVA Eruditis nostri temporis CONSVETA non sola est *LATINA*, qua sine aliquid proferre, olim fere piaculi instar erat; sed quoque *VERNACVLA*, & genti hominis cuiusque Literati domestica ac propria. Quod etsi aegere aliqui tulerunt, & adhuc aegre ferunt: negari tamen haud potest, fuisse nunc *utriusque Linguae vsum* laudabili instituto introductum; dummodo *vsus* semper contineatur *intra vsum*, & nullus *abusui* in ulla locus detur. Neque enim *sola vernacula* est abusui exposita; cui dudum quoque *Latinam* fuisse deprehendimus obnoxiam. Controuersiam qui nunc de eo mouent: videntur *statum Quaestionis controuersae* aut ignorare aut peruertere. QVÆSTIO enimvero NON EST, an semper & solummodo in *vernacula lingua* tradi disciplinae debeant, ita, ut nunquam tradantur in *Latina*, vel *alia*, quae propter rariorem vsum cum quadam Excellentia potest vocari erudita: Sed versa vice HÆC potius EST QVÆSTIO, an semper & solum̄odo in *Latina Lingua* tradi debeant honesta ac literaria Studia, ita, ut nunquam tradantur in *vernacula*. In hunc modum si Quaestio formetur; non dubitamus, eam confidenter negare: Cum, quod *Sapientia* debet etiam esse suo modo *popularis*, *ideoq;* & *populari lingua* tradi debet; tum, quod & *lingua ipsa non repugnat*, & facit hoc non modo ad *maiorem propagationem Sapientiae*, sed & ad *maiorem culturam linguae*, *ceditq;* & in *honorem amoremq;* *gentis maiorem*, sicuti id olim *Graeci* & *Romani*, hodie *Galli*, suo maxime Exemplo comprobarunt; ac denique, quod multum hoc facit *ad detegendum Spuriae Sapientiae Splendorem*,

qui

qui saepe nullus foret, nisi *ab Existimatione linguae* aliqua ipsi accederet existimatio. Haud itaque metuendum est, ne *moderatae Linguae Vernaculae usu* genuina *vilescat Eruditio*: cuius nempe honor & existimatio multo praestantioribus, quam solius Linguae Latinae, nititur praesidiis; Neque vero per eum minuetur *Linguae Latinae elegantioris Studium*, sed crescet illud potius iuxta cum cultu *vernaculae*, sicque Latina nihilo minus manebit *vernacula inter Eruditos*, tametsi coniungatur cum illa, quae etiam *indoctis est vernacula*. Multum vero hac in parte nostra aetas debet Illustri Viro CHRISTIANO THOMASIO, qui primus fere *usum nostrae Vernaculae Philosophicum ac Literarium* cum Auctoritate ac singulari successu *inter Germanos traduxit in usum*: quem summum Virum plurimi deinde in eo sunt secuti. Quae autem vel ipsi, vel quoque Viro Celeber. IO. FRANC. BVDDEO sunt eo nomine publice obiecta, ea in suis Apologeticis publice vterque etiam abstersit. Errant vero, qui *Linguae Vernaculae usum* putant nouissimi solummodo moris aut instituti esse. Legatur quaeso ipse Latinitatis princeps CICERO, princip. Lib I. de finibus; & deprehendent illi, quid ipse ea de re senserit. Desiderauit item hunc *vernaculae usum* ingeniosissimus quondam ac prudentissimus SCHVPPIVS, qui integro scripto eundem commendauit. Idem egit Cel. *Erhardus* WEIGELIVS, cui merito etiam adiungo *Io. Ioach.* BECCHERVM, & *Christianum Theophilum* GRAVIVM, Professorem Herbornensem, qui anno MDCXCII. & MDCXCV. variis quoque scriptis pro vernacula introducenda laborauit. Vnicum adhuc, si placet, audiamus, *Graecissimum* pariter ac *Latinissimum* hominem, & inter Nouatores minime referendum; nempe *Hieronymum* WOLFIVM, qui in commentariis doctissimis ad Ciceronem de Offic. ubi col. 432. ad ista verba CICERONIS, quibus is *maximis in malis* hoc tamen *boni sibi assecutus videtur, ut ea literis mandaret, quae nec satis erant nota suis, & erant tamen cognitione dignissima*, his commentatur verbis: *Idem*, (Cicero) *copiosius* 1. *Tuscul.* *dicit, Philosophia iacuit usque hanc aetatem, nec ullum habuit lumen literarum Latinarum*. Quibus post pauca interiecta, (ad Germanicorum interpretum defectus ostendendos pertinentia,) idem subiicit WOLFIVS: *Quod si nobis aliquis contingeret, qui Philosophiam Germanicis literis illustraret, ut apud Latinos Cicero fecit; fortassis cultiores fierent mores, & politior oratio nostrorum hominum*. Postea cum difficultatem ob linguam nondum satis excultam exposuisset: *Cicerone igitur*, ait, *nobis est opus, h. e. homine prouidentiae dono ad hanc rem nato atque facto; nec Graecis tantum & Latinis literis, atque omni disciplinarum genere erudito, sed in palatiis quoque Regum & Prin-*

cipum

cipum versato, & in vernaculi sermonis & Scriptionibus & Orationibus diu multumque exercitato, quique ad hasce facultates & otio abundet, & iuuandae patriae cupiditate sit inflammatus. Haec WOLFIVS iste doctissimus, cuius desideria ac vota hodie impleta sunt: praesertim si ea etiam spectemus, quae pro vernacula nostra magis magisque excolenda *sub* REGIS POTENTISSIMI *Auspicio* Berolini hodie aguntur; & recordemur quoque, quae de *condenda Londini noua* ACADEMIA ANGLICANA, ad Linguae illi genti vernaculae cultum itidem spectante, *publicarum Relationum Schedae* nuperrime perhibuerunt.

VI.

STILVM vero & SERMONIS GENVS, quo docti ex nouissimo vtuntur more, si spectamus: est illud etiam Latine ad *popularem quasi vsum* magis hodie attemperatum, quam ad *Scholastico-Philosophicum*. Eliminantur enim ab eo aut parce admodum adhibentur antehac in Scholis frequentatae voces; quippe quae Doctis hodie videntur *horridae* ac *Barbarae*, verbisque nitidioribus redduntur. Instituto sane non contemnendo, & suos intra limites commendando; dummodo per nouum hoc dicendi genus *Scholasticos*, quos vocant, *terminos* non prorsus abiicerent, sed suo quoque rationabili usui relinquerent. Prostant certe ipsius CICERONIS, nec non QVINTILIANI ac SENECAE, luculenta eam in rem testimonia; quibus docent, & *vsum* eorum esse quandoque *vtilem* ac *necessarium*, & volunt eos *Latina Ciuitate* etiam donari, existimantes, quod, *auditu duriores, sensu ac usu denique mollescant.* Liceat proferre hic ipsius DNI PRAESIDIS verba quaedam, huc apprime facientia, quibus in *Praefatione ad Nucleum Logicae Weisianae*, qui cura ipsius illustratus ac prelo liberatus propediem prodibit, sequenti modo mentem suam exposuit. *Fateor*, ait, *horridam exempli loco videri usitatam de Praedicabilibus & Praedicamentis, nec non de Ante-Praedicamentis & Postpraedicamentis, aliisque similibus Doctrinam: Rem ipsam tamen sub eadem comprehensam si inspiciamus penitius, & vocabulorum artis insolentiae aliquid condonemus, quam Philosophis rationabilis quaedam breuiloquii seu contrahendae dictionis necessitas, vel ipsis Eloquentiae Romanae Principibus iam olim agnoscentibus & concedentibus, imposuit, qualemque etiam arti Venatoriae, Gladiatoriae, & cuicunque alteri nemo non lubentissime indulget, gloriolamque ex horum notitia & vsu quandoque captat; non video, cur debeamus ab ista Doctrina abhorrere.* Addo, quod nouissimum illud genus dicendi *Linguarum Exoticarum*, quae hodie maxime in vsu & flore sunt, *Idiotismis*

mis ac *formulis* plus iusto videatur abundare, easque praeter rationem quandoque affectare, sitque praeterea nimis saepe etiam *Dramatico-Satyricum*, ac eiusmodi *loquendi formulis permixtum*, quae moderatam ad conueniens decus Sermonis grauitatem minus deceant.

VII.

Ad FORMAM porro DOCTRINAE vel DISCIPLINAE quod attinet, quae METHODVS vocari alias solet: habet & in ea nouissimus mos aliquid peculiare. Est enim forma noua à legibus *Scholasticae Methodi* maxime aliena, & in plerisque *arbitraria*; quae ferre non potest Tractationem per *quatuor genera Causarum*, nec caeteros *Topicos* considerandi modos; praesertim si *Tabellarum Didacticarum*, quibus antehac literati homines delectabantur, *cancellis arte constructis comprehensa* ea veniant. Quocirca etiam amat DISCVRSIVA magis esse ac dici, itemque DIALOGISTICA & APHORSITICA magis, quam *Systematica*; nulli rerum dicendarum ordini se nimium adstringens, sed ordinem veluti in suis dictis e *re nata* captans. Hanc nouam, (si quidem noua est, cum & a priscis Sapientibus, *Pythagora, Socrate, Platone, Cicerone* & *pluribus aliis* sit usurpata,) docendi discendique formam non equidem duco improbandam; quod illa certe suis quoque vsibus laudandis minime est destituta; praesertim, si ad doctrinæ *principia* veluti *materialia*, quae liberius procedunt melius, itemque ad doctrinam *Exotericam* & *popularem*, quae exactiorem formam non requirit, referatur. Est vero altera Methodus ad *Acroamaticos* vsus & *consummatiorem doctrinae*, (si debito modo eadem vtaris, & cum discipulis ad exactiorem *theoriam* perducendis, eiusdemque cupidis, praesertim si prouectiores fuerint, debeas agere, magis proficua & conducibilis, *omnemque doctrinae ἀκρίβειαν ac necessariam exactitudinem*, dummodo vbique recte fuerit applicita, penitus exhaurit. Quocirca ILLVSTRIS haec LVDOVICIANA non abs re indignissime tulit illa, quae propter adhibitam hanc Methodum *plus iusto licentiosa*, (ne dicatur *proterua*,) *mens ac manus* aduersus Ipsius summe quondam meritum Pro-Cancellarium, B. FRID. NITZSCHIVM, eiusque *doctissimam Dissertationem praeliminarem*, Commentario ad Capitulationem Iosephinam *praemissam eademque methodo conscriptam*, in Recensionibus nouorum librorum, quae sub *Nouae Bibliothecae titulo* Halae Saxonum hucusque prodierunt, parte earum XIma, superiori anno conuicia pariter atque ludibria iniquius ac indecentius obiecit: & breui fortasse dabitur occasio, pluribus haec vindicandi.

VIII.

Sed vix crediderís, quod & in PINGENDIS LITERIS, SCRIBENDISQVE VOCIBVS, ex allata ratione melioris Orthographiae, moris nouiſſimi uſus ſeſe exſerat. Cum enim uſu ſit iam ſatis longo frequentatum, ut Litera I. *ſi vim haberet Conſonantis*, per Characterem J. & Litera V. *ſi haberet vim Vocalis*, per Characterem U. exprimatur: fit tamen hodie, ut duo iſti Characteres J. & U. (ob rationem haud contemnendam, quod nempe *antiquus Latinorum ſcribendi character* cum hiſce *nouis & alienis*, quas ignoret, formis non debeat miſceri, quodque homines Latinae Linguae gnari *Vocalem* a *Conſonante* vel ſub eodem quoque charactere noſſe debeant diſcernere,) e literaria Republica propemodum habeantur proſcripti, & reſtituto, vel unice ſeruato, antiquo Latino charactere rurſus permutentur. Prohibet porro nouitas literati moris *Diphthongos* Æ & OE *coniunctas* in vnum *characterem*, & more antiquorum *Vocales*, e quibus conſtant, vult *ſeorſim* vel *diſiunctim* ſcribi. Expunguntur item a vocibus *Apicum Notulae*, quibus vel *Tonus* & *Accentus* vocum, vel *Ablatiui* & *Aduerbia*, ſignari hucusque conſueuerunt; iisque fulcris aut apicibus virum doctum non indigere iudicatur. Hinc, quae antehac ſic ſcribebantur, UVÆ ESU JUCUNDÆ: eas homo noui moris tenacior vix ederet, niſi hunc in modum ſcribantur, VVAE ESV IVCVNDAE. Atque idem in *Minori* quoque *Charactere*, (qui ſequiori aeuo, cum pura & antiqua Latinitas fere ſepulta eſſet, introductus fuit,) noui moris auctores volunt obſeruari: Sed nondum tamen de ratione ſcribendi certa, reſpectu dicti huius minoris Characteris, inter ſe conſentientes. Equidem in eo, ut ſic ſcriptae uvæ eſu jucundæ, (ubi *Diphthongi in vnum Characterem ſunt contracti*, & *Characteres* v & j *pro conſonantibus ſignandis adhibentur*,) non debeant admitti, omnes conueniunt. Differunt vero rurſus in eo, quod ALII velint *ab initio ſemper* adhiberi v *non nexile*, & ſcribi, vuae eſu iucundae; ALII autem v *non nexile* velint *ſemper tantum* adhiberi *in fine*, & ſcribi, uuae eſv iucundae; ALII denique v *non nexile* e charactere minori *prorſus eiectum* velint, & cupiant vbique ſcribi, uuae eſu iucundae. PRIOR ſententia hac nititur ratione, quod ſaltem ab initio dictionis antiquus Character v debeat quodammodo referri. ALTERA cauſatur, quod litera non nexilis in fine vocis commodum poſſit habere locum. POSTREMA denique hoc fundamento ſuam ſcriptionem defendit, quod iſte *minoris formae Character*, (quem aliqui *Longobardicum*

cum (ambigo an satis recte) vocant, & *Monachis* illius usum introductum tribuunt, tantummodo *propter celeritatem scribendi* fuerit adhibitus, eoque ad antiquam literarum Latinarum formam maiorem, (quam *capitalem & quadratam*, itemque *vncialem* in grandiori charactere, vocant,) sit *nullibi*, & ne quidem in *vocis principio*, adstrictus, sed sua veluti natura *literas* semper requirat *nexiles*, etiam *in fine vocis*, non quidem ob necessitatē, sed tamen ob scribendi consuetudinem commodamque vniformitatem, licite seruandas. Permittimus vero unicuique sua stare sententia, suaque consuetudine: nisi quod *postremo* tamen *loco adducta scribendi ratio* videatur *prae gemina altera* more nouissimo probari, atque etiam in antiquioribus libris, qui circa tempus inuentae artis Typographicae impressi sunt, nec non in ipsis MSCtis codicibus, deprehendatur plerumque fuisse usurpata; licet & *altera scribendi ratio*, (saltem prior,) exemplo usus antiqui non destituatur. LEGES itaque ORTHOGRAPHIAE RECENTIORIS PROBATISSIMAE, (quae Typothetis, eidem inadsuetis vel adhuc ignaris, multum solet negotii facessere,) si velles contrahere *in Summam*; videntur illae pauculis hisce monitis posse comprehendi. 1.) *quod in Charactere Latino Maiori* loco J & U vbique I & V, *itemque* loco Æ & Œ, vbique AE & OE, *sint adhibenda.* 2.) *quod in Charactere Latino Minori* nusquam j & v, (nisi *posterius* vel *à principio* vel *in fine vocis admittatur,*) sed ubique i & u, *itemque* nusquam æ & œ, (*quae tamen in antiquioribus quoque reperiuntur libris,*) sed ubique ae & oe, *debeant adhiberi.* 3.) *quod omnes Apicum notulae*, (quales *Aduerbiis* maxime & *Ablatiuis* solent alias imponi, vel quoque ad *Tonum vocis* signandum *in ipsis quandoque antiquioribus libris* adhiberi,) *a vocibus plane debeant abesse.* Et sane vitio non potest verti, si in scribendo etiam sequamur ea, quae sunt probatissima; in quibus *ne quidem minutiae* viro docto temere aut leuiter sunt negligendae. Habet vero *Orthographia* ROMANA seu LATINA adhuc *longe maiorem amplitudinem*, si non tam spectemus, *quales*, sed *quaenam literae* singulis vocibus sint adhibendae. Qua certe in parte multum debemus Viris doctissimis, SCHVRZFLEISCHIO, NORISIO, atque CELLARIO, ut taceamus *Gruterum*, *Lipsium*, *Dausquium*, *Aldum*, & *plures alios*, qui ante ipsos Argumentum hoc tractarunt. De *nostrae* autem VERNACVLAE orthographia nondum aeque constat; cum approbationem illa non inuenerint, quae a *sodalibus* quibusdam *Societatis frugiferae* à *Palmis dictae* circa eam sunt tentata ac proposita, & in ipsorum scriptis usurpata. Quare optandum foret, ut ista de re, (quae,

eum incerta relinquitur, multa post se trahit incommoda,) certi aliquid denique statueretur, tumque etiam in vsum uniformem traheretur.

IX.

His ita se habentibus, haud adeo obscurum erit; quod nouitas in RELIQVO etiam EXTERIORI CVLTV ex Moris nouissimi more studio literario obtingat. Id quod e nulla quidem re magis, quam ex *RECENTIVM LIBRORVM* exteriori ornatu atque habitu videtur elucere. Nunquam enimvero nitidius, siue CHARTAM, siue TYPOS, siue CAETERA EXTERNA, spectes libri in publicum conspectum prodierunt, quam quidem hoc nostro tempore, (accedente & *COMPACTVRAE* eligantia,) fieri spectamus. Cui nitori etiam ab eo singulare pretium accedit, quod CORECTISSIMA velint Viri docti *sua opera* prodire, si modo iusto huic ipsorum desiderio semper ex aequo responderet vituperanda *Bibliopolarum* atque *Typographorum* incuria; licet inter illos quoque hodie existant *strenuam* huic rei *operam* nauantes Viri, qui magnum id propter & sui ordinis sunt ornamentum. Peculiare vero aliquid videntur iam prae se ferre LIBRORVM TITVLI; quippe qui non tantum *breui ac neruosa concinnitate* lectoribus placere volunt, sed etiam *inscriptionis raritate* quadam, ast tali tamen, quae non possit haberi pro *insolentia*, maiorem sibi student gratiam conciliare. Quae enim Lexica vel Dictionaria olim erant, ea hodie *Glossaria* malunt appellari; Pro Curis substituuntur *Meletemata*; pro Fasciculo *Sylloge*; pro Indice *Elenchus* vel *Syllabus*; pro libro Memoriali *Polymnemon*; pro Florilegio *Anthologia*; pro Notis *Scholia*; pro Systemate *Syntagma*; pro Compendio *Synopsis*; pro uniuersali Commentario *Pandectae*; pro Recensu Doctorum Nominum *Eponymologicum*; pro scriptis Irenicis *Henotica*; pro Diariis *Ephemerides*; pro Additamentis *Auctaria* vel *Supplementa* aut *Sicilimenta*; pro Collectaneis *Analecta*; pro Excerptis *Eclogae*; pro Ineditis *Anecdota*; pro Suppositis *Hypobolimaea*; pro Sermone Inaugurali *Exegesis Parascenastica*: ut *plura alia* taceamus, quibus docti Viri ab usu nimis vulgari ingenii sui monumenta volunt atque solent distinguere. Similem vocabulorum varietatem in librorum titulis adhibitam notauit quoque Celeb. quondam MORHOFIVS, quando *Polyhist. Liter.* Lib. I. c. XXII. non longe à principio sequentem in modum scribit: *Et quis recenseat omnia nostro tempore Mellificia, Promptuaria, Calligraphias, Aeraria, Apparatus, Parnassos, Scintillas, Flauissas, Flores, Florilegia, Miscellanea, Semestria, Otia, Promulsides, Coniectanea, Varias Lectiones, Obseruationes,*

Dies

Dies Caniculares, *Syluas*, *Aduersaria*, *Singularia*, *Praecidanea*, *Analecta*, *Dies Geniales*, *Stricturas*, *Exercitationes*, *Horum Sparsiones*, *Spicilegia*, *Memorabilia*, *Bene dicta*, *Laudabilia*, *Notabilia*, *Cinnos*; *Politias Literarias*, &c. Fuisse autem hoc ipsum etiam antiqui moris; ut *Titulos* eiusmodi *phaleratos* docti Viri praeficerent suis libris: id certe potest vel ex solo GELLIO constare, qui non tantum Lib. I. cap. II. de iactabundo quodam Iuuene & vocabulis haud facile cognitis obstrepente quaedam consignauit, sed quoque Lib. XX. cap. ult. ubi rationem reddit; cur collectanea sua *Noctes Atticas* inscripserit, plura ad Historiam antiquam *titulorum librariorum* pertinentia simul adduxit. Integrum quoque de pari propemodum argumento caput in suo de *prima scribendi origine* commentariolo, (quod est ordine XXXI.) inseruit HERMANNVS HVGO, in cuius Principio ipse non sine aculeo scribit, quod hoc caput sit futurum, *instar Campanici belluati tapetii*, *varium & illusum*, & iis maxime *iucundum*, qui *nihil velint chartariorum nominum ignorare*. Caetera, quae RVDOLPHVS quoque CAPELLVS in Lectionibus Bibliothecariis Memorabilibus ad *Onomatologiam Bibliothecariam*, non Graecis modo & Latinis, sed Hebraeis quoque vsitatam, pertinentia ex variis Dictionariis collegit: ea *libros prorsus generatim acceptos* respiciunt, & non sunt aeque huius loci. Sinimus nos vero vnumquemque abundare suo sensu atque titulo, nec improbamus omnino *morem* istum *nou-antiquum*: dummodo absit ab isto librorum cultu literaria *vanitas*, *Insolentia* & *ostentatio*; qualem perstringit Illustris THOMASIVS in Praefatione ad Iurisprudentiam diuinam in illis, qui loco *Praefationis* mallent *Antefationem* dicere. Magno sane libris Tituli sunt ornamento pariter ac commodo, faciuntque non modo ad *Librorum distinctionem*, sed quoque ad *allegationis commoditationem* & *operis commendationem*; praesertim si sint *accommodi*, *perspicui*, *sufficientes*, *concinni apteque dispositi*, ac *interioribus* eorum *respondentes*, & quendam veluti ipsorum characterem videantur exprimere.

X.

At vero, quam multa & varia sunt illa, quae praeter librorum *Chartam*, *Typos*, *Accurationem* atque *Titulos*, ad *cultum hunc exteriorem* poterunt referri. Offerunt sese in iis etiam SVMMARIA, quae more nouissimo LEMMATA potius vocaueris: videasque libris horumque partibus vel *praeposita*, vel *postposita*, vel quoque ad marginem *apposita*, suoque peculiari typo ab ipso librorum contextu eleganter distincta, &, ubi iunctim leguntur, in *columnas longiorum* aut *breuiorum linearum* concin-

na varietate distributa. *Substratae* etiam textui conspiciuntur varii generis NOTVLAE & ALLEGATIONES, non *copia*, sed *raritate* & *selectu*, commendabiles, *signisque* vel *numeralibus*, vel *literalibus*, vel *illiteratis* quoque, qualia sunt *Asterisci* & *Notae cruciformes*, insignitae; quorum omnium usus diuersus apud diuersos esse solet. Habent porro suas quoque Veneres *librorum* ex genere diuerso INDICES, in ipsa *breuitate* verborum rerumque *copiam* subministrantes, eamque *concinna varietate* sic digestam, ut eos euoluere nec *iniucundum* sit, nec etiam *frustraneum*. Singularem deinde gratiam quaerunt aliqui in *elegantis Sculpturae* vel *Caesurae* IMAGINIBVS, quibus librorum *frontispicia*, veluti *Emblematibus* aut *Hieroglyphicis* quibusdam, solent exornare; nec non in LINEIS, quibus vel *contextum primarium* à subiectis quibuscunque *Annotationibus* distinguunt, vel eundem dispertiuntur in duas pluresue *columnas literatas*, aut praeter hunc vsum *inscriptiones* quarundam partium *insigniores*, more Anglis maxime consueto, ita *complectuntur*, prout vnicuique id posse quam elegantissime fieri videtur. Placent porro hodie MAIORES TYPI prae *minoribus*, & maxime *Scriptorum*, qui citantur, *nomina* extantiori Typorum charactere exprimuntur. Placet item NVMERORVM *character Romanus* prae *Barbaro* minoris notae, & quoties *Annorum numerus* aliquis est designandus, iucundior est in ipso Romani characteris usu *antiquior* & *rarior forma* prae *recentiori* & *frequentiori*; eoque, si exemplum desideres, pro MDCXCII. solet potius CIϽ IϽ C VIII C. vel quoq; pro signando *Millenario* nota ∞ ut minus vulgaris adhiberi. Amant & aliqui *Typos* ERECTOS, aliqui vero INCLINATOS ac veluti CVRRENTES, hisque potius, quam illis, libros suos volunt exscribi. Sunt item, qui *varietatem* magis, sunt quoq; qui *simplicitatem* & *vniformitatem* in omni charactere Typorum, sectandam sibi ducunt. Aliqui porro *parcius*, (quod hodie Viris doctis magis videtur arridere,) alii vero *crebrius* MAIVSCVLIS seu *capitalibus* LITERIS in vocum frontispicio vtuntur. Absunt denique à libris ELOGIA & varii generis POEMATA aut CARMINA, quibus Maiorum libri solebant exornari; &, si quid illorum loco hodie accesserit, EPISTOLAE *elegantes* maiorem gratiam quam *Carmina* inueniunt. Omnia haec satis bene; dummodo de vniuersis satis iam constaret, quid sit in omni isto more probatissimum; ne sit nouitas Moris sine vtilitate, sed potius deprehensa vtilitas nouitatem aliquando tollat. *Ipsa enim mutatio consuetudinis, etiam quae vtilitate adiuuat, tamen Nouitate*

perturb

perturbat: Quapropter, quae utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est; ut ait AVGVSTINVS, Epist. ad Januarium.

CAPVT III.

DE

EO, QVOD EST NOVISSIMI MORIS CIRCA ILLVD DECORVM, QVOD AD IPSOS STVDIORVM CVLTORES CVM INTERIORI TVM EXTERIORI RATIONE EXISTIMATVR PERTINERE.

I.

Ex ratione studiorum, cum *interiori*, tum *exteriori*, de qua vtraque verba quaedam hactenus sunt facta, pendet porro & omne illud τὸ ΠΡΕΠΟΝ siue DECORVM, quod suae etiam Personae *utraque ratione* conuenire censent ii, qui circa studia pro designata ratione digne cupiunt versari. Quocirca etiam haud foret adeo difficile, IDEAM quandam vel CHARACTEREM exhibere ac proponere, qui possit *ELEGANTIORIS LITERATVRAE HOMINEM* tanquam in breui Tabula referre, eumque talem nobis sistere, qualis & ipse voluerit ab omnibus cognosci & haberi. Non enim quicquam aliud ad id videtur opus esse, quam vt *personae hominis literati* propria iam quoque faciamus illa, quae sunt de *ipsis literariis studiis* in praecedentibus proposita. Summam tamen eorum, quae *ad Personam* sunt contrahenda, si desideres: habebis *illam*, si vel sola attentius consideranda tibi sumas *venusta* illa *Nominum Elogia* & *Axiomata*, quibus praesertim GALLI, (Gens illa cultissima, a quibus nostra Germania suos hucusque contraxit mores,) HOMINEM ex recentissimo more tam ELEGANTER ERVDITVM & LITERARVM STVDIIS EXCVLTVM, vocando ipsum *un HONNETE HOMME, un HOMME SCAVANT, un BEL ESPRIT, un HOMME DE BON GOVST, un HOMME GALANT*, eoque tali praeditum animo, *qui soit solide, brillant, penetrant, delicat, fertile, iuste, universel, clair & mo-*

deste, veluti summatim solent exornare. Ad quorum Nominum perspiciendas Emphases, clarissimi commentarii loco adhiberi potest illustris THOMASII *Discursus*, quem vocat, de *Gallis prudenter imitandis*, qui inter Ipsius *Opuscula Germanica* primo statim conspiciendus loco reperitur.

II.

Huic proinde *Charactcri* cum *interiora & exteriora quaevis* in homine tam eleganter erudito conuenire debeant: omnia porro dixerim, si eius ANIMVM ac DESIDERIA, omnemque exteriorem personæ habitum sic dixerim eidem respondere, ut quoque in VICTV & AMICTV, in LINGVA & VOCE, in GESTV & INCESSV, omnique sua CONVERSATIONE, character iste ubique appareat expressus. Quamobrem & ista elegantis Literati pulchritudo non potuit amplius sub PALLIO *demisso*, & BARBA *promissa*, ex more Veterum Philosophorum, veluti obtecta aut obscurata contineri: sed, *altero abiecto*, atque *altera abrasa*, voluit ea *Ciuilioris vitae studium* iam tandem præ se ferre, eoque etiam ad *Aulici moris venustatem* magis magisque sese conformare, nec cedere in eo ARISTOTELI, qui, etsi vulgo ab ista Elegantia est parum notus, *veste* tamen *insigni*, itemque *tonsura* atque *annulis*, prae multis aliis Veterum Philosophorum *usus esse* perhibetur, teste LAERTIO in eius vita, nec non AELIANO Lib. IV. Cap. IX. cum quibus & *Alexander ab* ALEXANDRO, Genial. Dier. Lib. V. Cap. XVIII. (ubi de *de diverso vestitu Veterum Philosophorum* summatim aliqua commemorauit,) poterit conferri. Equidem & id bene satis: dummodo *Sapientia*, (quæ olim, ut CICERO aiebat de *Diogene*, sub *sordido quoque interdum Pallio latebat*,) sub *elegantiori isto habitu* adhuc sit conseruata, nec *pristina Auctoritate*, qua multum prisci sapientes in imperitiorum animis valebant, *vna cum pallio ac barba* senserit se esse *destitutam*, neque etiam *gladio* nunc *accincta* pristinam *innocentiam* videri queat hodie deposuisse.

III.

Comprobant vero hanc *Moris Elegantiam*, quam Viri Docti hodie sibi conuenire iudicant, eorum etiam IMAGINES s. ICONES, quibus *vix alio*, quam *eleganti*, ac *veluti Mercuriali habitu* conspiciuntur, quasque ab inciso aere expressas solent *exornandis libris* vel *ipsi* vel *alii* praefigere. Comprobat item eandem probata ipsis SVA NOMINA EXPRIMENDI SIMPLICITAS, qua, *sine adhibita* antehac consueta *Titulorum Pompa* & *variorum munerum amplissimo recensu*, utendum sibi esse ducunt:

cunt: daturi in eo vel *aliquod Modestiae suae documentum*, vel etiam *existimantes*, esse *id multo magis ex honore*, si tanta fuerint ipsorum merita, ac tanta meritorum fama, ut *vel solo conspecto ipsorum nomine* persona iam satis *per se nota* cuique habeatur. Licet enim & Viri sapientes, inque munerum amplissimorum dignitate constituti, *absque vana ostentatione*, possint ac soleant quandoque conuenienti loco titulos quosdam suis nominibus adiicere, nec statim iis conspectis debeant illi istius vitii insimulari, faciatque praeterea recensus iste Titulorum *ad publicam eamque non inutilem notitiam*: certum tamen est, quod saltem in opinione hominum reddantur Viri docti *Titulorum phaleris* suspecti, horumque *simplicitas* itemque *infrequentia* aut *abstinentia*, (quanquam indicio admodum fallaci,) morum modestiae ac elegantiae conuenientiores habeantur. Celebres alias ab ista vanitate ITALORVM & HISPANORVM sunt *ineptiae*, à quibus nos *Germani* non aeque, ac *Galli* nobis temperamus: qua de re legi meretur *Ioh.* BERSAND libellus doctissimus, quem de *Venatione hominum* inscripsit, cuius cap. XVIII agitur de *Titulorum vanitate*, in *Italis* maxime & *Hispanis* prae aliis notabili, ac *Titulorum simplicitas* in *aeuo simpliciori spectanda* proponitur, & *admonitio* denique subiicitur, esse *LATITITVLOCREPOS*, qui vento pasci velint, & vanitate ista delectentur, *desideratis titulis* merito mactandos, ut nempe stultis spargantur odores, quos tam impense videantur anhelare. Speciatim quoque TITVLORVM ACADEMICORVM *vanitatem*, & *modestam* eorum *in speciem deprecationem*, ingeniose ac eleganter, uti solet, perstrinxit *Ioh. Valent.* ANDREAE, in *Menippo*, cap. XXXIII, ut alia huc pertinentia praetereamus. Sed viuimus tamen ea iam aetate, qua Academici Tituli, *a Doctoratus* aut *Magisterii gradibus* insignes, adeo fere sunt contemti, ut ex nouissimo more *plurimi Doctissimorum Virorum*, qui sunt eorum Axiomatibus condecorati, *iisdem abstineant*, eosque *non tam honori*, quam *pudori*, sibi ducant. Id quod mirum certe esse non debet, si cogitemus, vix potuisse aliter fieri, quam ut tantus istorum Titulorum & Graduum *Abusus* in *Contemtum* denique conuerteretur. Honestior tamen adhuc paulo permansit DOCTORIS quam MAGISTRI Titulus; ex ea ipsa fortasse ratione, quod *is* non aeque, atque *hic*, tam enormi abusu fuerit obnoxius. Audiamus ea de re ICtum summum, *Vlricum* HVBERVM, qui in Oratione elegantissima de Pedantismo sequentis tenoris in hanc rem profudit verba: *Quin etiam superiore seculo Tha-*

les ille Gallicus; quem Lipsius appellat, Michael Montanus, suo tempore pro Exemplo & Synonymia Pedantismi narrat usurpatum fuisse Magisterii Titulum, ut idem esset Magistri atque Pedantae cognomen. Vnde prudenter non ita pridem Philosophi nostrates Magistri nomen Titulo Doctoris Philosophiae magno consensu tegere & illustrare voluerunt. Nam illud Magistri ψιλὸν nudum nimis & tritum vulgatumque euaserat; quod admodum vereor, ne aliquando ipsis Doctoribus eueniat, ut horum quoque vilitas nouo Tituli commento detergenda videatur. Mundus regitur opinionibus, & hae nominibus magis, quam rerum differentiis, afficiuntur, maxime in honoris reputationibus. Hactenus celebratissimi istius ICti verba; quibus tamen me non induci passus sum, vt a consectando *Magistri Titulo* & *Gradu* abhorrerem, si modo non indignus inueniar, quin possim eodem exornari. Et sane optandum esset, ut Viri, qui eum *maxime merentur*, eodem quoque *uterentur*, & *usu* eiusdem ipsis condigno ab *abusu* pariter atque *contemtu* eundem aliquando vindicarent.

IV.

Pertinet porro ad hanc *Nouitatem Moris* CIRCA TITVLOS, & *alterum aliquid*, hoc loco commemoratu non indignum, quo fieri deprehendimus, ut *Academici Professores* & *Reipublicae literariae Proceres haud pauci* ALIIS quoque hoc tempore MVNERIS SVI TITVLIS se velint insigniri, & ipsi se insigniant. Qui enim *olim* Professores *Graecae & Hebraeae Linguae*, Professores *Latinae Linguae & Poeseos*, Professores *Logicae* & *Metaphysicae*, Professores *Physicae*, Professores *Ethicae & Politicae*, solebant ac volebant appellari: eos *hodie* Professores *Graecae & Orientis Linguarum*, Professores *vtriusque Eloquentiae*, Professores *Primae & Rationalis Philosophiae*, Professores *Philosophiae Naturalis*, itemque Professores *Philosophiae Moralis & Ciuilis*, ex nouissimo more videmus nominari, ac sese ipsos nominare; eoque *contemtum*, cui *doctrinarum optimarum abusus* aut *neglectus* ipsorum quoque *optima munera* fecerant obnoxia, prudenter auertere. Quis enim neget, *disciplinas egregias*, quoties in imperitos vel *discipulos* vel *doctores* incidunt, multum de splendore suo amittere; sicq; opus quandoque esse, ut TITVLI NOVITATE *contemtus auertatur* & *pristina iis Existimatio restituatur*. Quaeso enim, quam celebre ac illustre olim erat antiquum SOPHISTARVM nomen? quod sequens tamen aetas maximo habuit contemtu; adeo, ut qui *Sophistae* prius vocabantur, *Philosophi* deinde mallent appellari: sed cuius tamen & ipsius tituli existimatio suas habuit vicissitudines. Audiamus si placet, *Iacobum* PONTANVM, celebrem

brem Iesuitam, qui, cum in Progymnasmatum Latinitatis Volum. I. Progymnas. I. loco *Grammatici* DOCTOREM LITERARVM nominasset; in Annot. hanc reddit Appellationis rationem: *Magistros Grammaticae*, ait, *nitidius & honoratius ita vocabimus; voce nimirum generali, respiciente ipsum nomen artis, quod à literis ductum est.* Et paulo post; *qui in Academiis scientiam hanc profitentur, Latinae Linguae Professores audire volunt, & ipsi hoc se nomine afficiunt. Id neque falso, quod omnes vident, neque iniuste, quando Grammatici nomen hoc Seculo vilescit ac despicitur. Et Seneca Epist. XCV. custodes Latinitatis nuncupat.* De elegantissimi *Nominis* POLYHISTORVM aduersa fortuna Clar. IOH. MOLLERVS Praefat. ad Polyhistor. Morhofian. non longe à principio aliqua etiam commemorauit: quibus possent plura alia adiungi, si quidem prolixius id esset deducendum. Venit tamen in mentem, quod etiam HVBERVS, in Oratione supra cit. ex *Plutarcho* de *Alexandri M. quondam Ephoro Leopide* commemorat, quod scilicet & ille ex pari ratione non amplius, consueto sua aetate Titulo, *Alexandri Paedagogus*, sed *Altor* potius ac *Praeceptor*, voluerit tum appellari. Singulare vero est, quod solae HISTORIARVM atq; MATHEMATVM *Professiones* honorem & Titulum antiquum integrum in Academiis prae caeteris omnibus seruauerint: id quod ex eo videtur esse deducendum, quod vel *maior Iucunditas*, iuxta cum Vtilitate, eas commendet, vel quoque *ratio argumenti*, circa quod versantur, ab abusu & contemtu facilius easdem praeseruet. Multum vero speciatim aliquos offendit *nouum*, vel potius ex ipsa Antiquitate *instauratum*, PRIMAE & RATIONALIS PHILOSOPHIAE *Nomen*; quos inter fuit quoque Vir satis celebris ac notus *Marius* NIZOLIVS, qui Lib. III. Antibarbari sui Philosoph. indigne hoc ipsum tulit, quod, cum *tota Philosophia Rationalis* sit, *sola Logica* Elogium hoc sibi vendicauerit. Sed docte huic respondet eiusdem Editor *Illustris* LEIBNIZIVS, quando in adiecta notula scribit: *Physica Rationalis quidem*, sed *tamen non agit de Ratione.* Dubium de caetero non est, quin nomen istud *Philosophiae Rationalis* iam satis sit antiquum, & originem trahat ab *antiquissima Philosophiae* in ἠθικὴν φυσικὴν & λογικὴν *distinctione*; cuius loco apud Latinos diuisio in MORALEM, NATVRALEM & RATIONALEM *Philosophiam* fuisse adhibitam, vel ex solo SENECA Epist. LXXXIX. satis manifesto poterit constare. Hinc quoque non desunt remotiora ab aetate nostra doctorum Virorum Exempla, qui Logicam *Rationalis Philosophiae Titulo* condecorarunt: ceu patet ex editis sub eo Titulo libellis Logicis, *Edmundi* SCHNIDERI, Professo-

ris quondam in ordine Cisterciensium Pontificii, atque Nostratis *Antonii* ITTERI; ut Celeberrimi quondam in Academia Wittebergensi Professoris *Christiani* DONATI, qui teste *Adolpho* CLARMUNDO in Exercit. Histor de praecipuis Topic. Explanatoribus p. 27. & 68. *Philosophiam Rationalem* reliquit in MSCto, atque etiam in Epitaphio *Primae & Rationalis Philos. Professor* dignissime fuit appellatus.

EPILOGUS.

PLura de NOVISSIMO in Republica Literaria More praesentibus subiicere nec libet, neque vacat. Poteruntque in Argumento hoc amplissimo *Ichnographiae* aut *Sciagraphiae* qualiscunq; loco paucula haecce iam sufficere. Liberius dicta aequi boniq; consulent PROCERES *praeclarae huius Reipublicae*: cuius Compages ad *formam Aristocratiae*, quae eius etiam naturae est maxime omnium accommoda, videtur proxime accedere; sed ita tamen, vt omnibus eiusdem ciuibus *moderatus Libertatis naturalis usus* recte simul concedatur. NOVEM vero in hac Literaria Republica recte videntur posse requiri *hominum* GENERA: Videlicet *INVENTORUM*, *NARRATORUM*, *CENSORUM*, *CONDITORUM*, *DOCTORUM*, *SECTATORUM*, *AUCTORUM*, *CONSERVATORUM*, *VINDICATORUM*; horumque *uniuersalem* quandam introduci *Societatem* ac *Socialitatem*, (quanquam maximus animorum Dissensus videatur obstare,) impossibile non est. Potestque *unusquisque* huius Reipublicae *CIVIS* nouem istorum in hac Republ. positorum generum *Officium facere*; sed non *satisfacere*. Omnes autem si *iunctis viribus* eidem satisfaciant; erit illa tum demum felicissima, ac tali in flore constituta, per quem hoc erit NOVISSIMUM, quo omnibus eiusdem Ciuibus *nihil unquam debet esse* ANTIQUIUS.

Vide infra annotanda.



COROLLARIA.

1. *Per Philosophiam Experimentalem Realis facta est Philosophia Naturalis, quae antehac mere Idealis propemodum existebat.*

2. *Leges consulto dare, & quae sunt datae exacte obseruare, est e praecipuis, in quibus Cardo felicis Reipublicae vertitur.*

3. *Doctrina de Praedicamentis & Locis Topicis materialiter spectata non pertinet ad Logicam.*

4. *Eliezerem, seruum Abrahami, Regem in Basan fuisse factum probabile non est, & commentum videtur esse Iudaicum.*

5. *Sententiosum si quis inter omnia genera Stili pro praestantissimo haberet, a vero non aberrauerit.*

6. *Symmetriae in Architectura Militari non aeque, ac in Civili, habetur & habenda est ratio.*

7. *Extremitas vel Summitas Amoris erga Deum & Odii erga peccatum non tollit Virtutis Mediocritatem.*

8. *Morem, quo licet hodie Conuiuis aliquas Conuiuii Reliquias secum auferre, iam antiquissimis Temporibus fuisse frequentatum, commemorata apud antiquos conuiuiorum* ἀποφόρητα *existimem probare.*

9. *Non solam Lunam, sed quoque Terram, inter causas Fluxus & Refluxus Maris posse referri, verosimile est.*



AD

NOBILISSIMVM & CLARE DOCTVM

DN. RESPONDENTEM PRAESIDIS

COMPELLATIO.



Egerrime facio, mi dilectissime RÜHFELI, quod debeo facere quam lubentissime. Cupis Testimonium tibi aliquod, systaticasque literas, hac mea manu perhiberi: Nec denego tibi ea, Virtuti tuae debita; imo vero & libenter eidem illa tribuo. Attamen & aegre tribuo, quod est cum tuo a me discessu & abitu coniunctum, quem non possum non ferre quam aegerrime. Domesticus meus & inquilinus fuisti vltra quadriennium: Pependisti semper ab animo, ore & consilio meo; animumque praeterea conciliasti tibi meum assidua tua & indefessa in propriis quibusque studiis honestis posita diligentia, cum probitate ac integritate morum, & haud obscuris in Te erecti ingenii dotibus, coniuncta. Quibus proinde & eam tibi ab Ordine nostro Philosophico conciliasti gratiam, ut, praestitis ante, de quo non dubitamus,

lau-

laudabiliter omnibus, quae Magisterii Candidato praestare hic incumbunt, dignus vnanimi consensu propediem à Nobis sis declarandus, quem publica Nostri Collegii auctoritate inter Gradus Philosophici supremi Candidatos cooptemus. Ecce igitur ea, quae ipsa suffragante veritate hac mea manu Tibi promerita tribuo elogia: semper Tui optime futurus memor, quoad vixero; iam vero fausta Tibi discedenti quaeuis ac salutaria apprecans ex animo; Teque & tua studia ac commoda Patronis omnibus, qui verae virtutis ingenuos cultores amant, enixissime ac decentissime commendans. Dabam Gissae Hassorum, Mense Septembri, A.R.S. MDCCXII.

ANNOTANDA QVAEDAM:

Quae huic alteri Editioni accesserunt.

AD *pag. 9.* potest annotari, pertinere & hoc ad nouissimum morem, ut non tam SVBTILITATIS, quam VTILITATIS, itemque non tam VERITATIS, quam BONITATIS ratio in studiis habeatur: in iisque non tam accedantur RIVVLI, quam FONTES.

Ad pag. 19. potest & hoc addi, quod loco characteris W soleat potius geminum VV in recentiori Orthographia adhiberi.

Ad pag. 28. pro *Epilogo* declarando potest annotari, intelligi in eo per INVENTORES, qui Res & Veritates antea ignotas detegant; per NARRATORES, qui eorum, quae inuenta sunt, publicam faciant notitiam; per CENSORES, qui de inuentis iudicent; per CONDITORES, qui vtiliter inuenta & probata condant ac digerant in commodam doctrinae vel disciplinae formam; per DOCTORES, qui commodam tradendis vel explicandis Disciplinis operam nauent; per SECTATORES, qui bonis Doctoribus obtemperent, horumque bonas Doctrinas suas faciant, inque ipsum communis vitae usum conferant; per AVCTORES, qui de augendis & perficiendis bonis disciplinis laborent; per CONSERVATORES, qui bonas & probatas Doctrinas a neglectu & contemtu, nec non a corruptione praeseruent; & denique per VINDICATORES, qui bonas Doctrinas, si iam neglectui contemtuique datae & corruptae fuerint, ab hisce malis vindicent, inque statum pristinum restituant.

MOrum antiquorum dum nec cupis esse Patronus;
Ecce nouos prodis perdocte non sine laude,
Vtilis hicce labor, RVHFELI, gaudet honore
Insigni, qui nullo unquam delebilis aeuo.

Hisce DN. Candidato RVHFELIO, Amico suo coniunctissimo, Eruditioneque ac Pietate ornatissimo, ex animo gratulari voluit

JOH. HESS, SS. Th. Stud. Grünbergensis,
Opponens.

QVid Te, quid laudem, mi perdilecte Sodalis?
Cum laudet proprium nunc opus artificem.
Vivat Opus, nomenque tuum delebile nunquam,
Liuida quod nequeat carpere Turba! vale!

Hisce pauculis clare Docto DN. Respondenti, dignissimo Magisterii CANDIDATO, Fautori & Amico suo integerrimo, adplaudere voluit

JOH. PET. REVSCH, Almersbaco Seynensis,
Opponens.

SVnt ea RVHFELI, quae scribis Apolline digna:
Tu monstras Genium, quod probat Ingenium.
Plaudunt Pierides, resonat conuallibus Echo:
Accipe mente pia Praemia digna! vale!

Ita Nobilissimo, Doctissimo atque ornatissimo DN. CANDIDATO de praeclaro specimine gratulari & fausta atque laeta quaevis ex animo apprecari voluit

A. H. LACKMANN, Oldenburgo-Holsatus,
Opponens.

